



De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

11 Vtrum homo sit dominus suæ famæ, & honoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

40 Lib. 2. Cap. 4. De subiecto & obiecto dom. Dubit. 9. 10. & 11.

*Quo modo
Iure naturae
re dominium
habet.*

53 Aduerte tamen, cum dicitur hominem Iure naturae habere dominium in res inferiores, non esse id ita intelligendum, quasi singuli habeant completem dominium à natura; sed quia potestatem habent res inferiores occupandi, & earum dominium completum comparandi. hoc enim ius cuique à natura concessum in rem quamlibet, ut eam occupare, si bique vindicare possit, si ab alio antea occupata non fuerit.

D V B I T A T I O I X.

*Utrum homo cedat sub dominium
alterius hominis.*

54 R Espondeo, & Dico Primo, Iure naturae non habet homo dominium in alterum hominem. Ratio est, quia omnes homines naturae conditione sunt pares; cum sint eundem naturae, ex eodem parente, & ad eundem finem conditi. & quamvis quidam à natura sint magis apti ad imperandum, ali ad seruendum, (qua ratione Aristoteles 1. lib. Polit. c. 1. & 3. dixit quodam naturam seruos, quodam dominos) nemo tamen naturae est seruus proprius, cuius signum est, quod in statu naturae integræ nulla futura fuerit seruitus, ut communiter doceant Patres, Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 13. & Gregorius lib. 21. Moral. cap. 11. quia seruitus est pena peccati.

55 Dico Secundo, Iure tamen gentium & ciuii potest quis effici seruus, idque multis modis, vt statim dicimus. Patet ex Scriptura, Exodi 21. Leuit. 25. Deuter. 20. & 21. vbi variæ leges praescribuntur de variis seruitutum generibus. & Apostolus 1. Cor. 7. Seruus vocatus est non fit tibi curare. Vnde conatur etiam Christianos posse esse seruos, non solum gentilium, sed etiam Christianorum, de quo vide Gratianus dist. 54. vbi habet multa decreta de seruis Christianis.

*Seruitus
quo modo
contra na-
turam.*

56 Dices, Seruitus est contra naturam; ergo. Respondeo, Non est ita contra naturam ut sit contra rectam rationem vel præceptum naturale; sed dicitur esse contra naturam, quia est contra primæviam naturae conditionem, secundum quam cum omnes essent recti & sine peccato, iniquum fuisset si alter alterum seruitur subiecisset. nunc autem, supposito peccato, est secundum rationem: sicut uti pharmacis, & cruciatis afficer homines, est contra primam nature constitutionem; non autem est contra rationem, supposito morbo vel peccato. docet hoc D. August. lib. 19. de Ciuit. cap. 13. Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus dominari; non dominem homini, sed hominem pecori, condicio quippe seruitutis, iure intelligitur imposta peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legitimus seruum, antequam hoc vocabulo Nō in istis peccatum sibi vindicaret. non itaque istud culpa meruit, non natura, &c.

D V B I T A T I O X.

*Utrum homo sit dominus vita sua &
membrorum.*

57 R Esp. & Dico Primo, Hominem non esse dominum, sed solum custodem vita sua membrorumque, & quasi vissarium: dominium vero

horum esse apud solum Deum. Ita passim DD. *Homo vita
D. Thom. q. 64 art. 1. Caiaran. in Summa, verbo
Homicidium. Victoria relect. de homicidio n. 21.
eam tenens
Sotus lib. 4. de Iustitia, q. 2 art. 3.*

Probatur ex Scriptura, Deuter. 32. vbi insinuat diuina potestatis esse, possit occidere, & vitam concedere. *Vide te quod ego sum solus, & non sit alius Deus propter me: ego occidam, & ego vivere faciam.* i. habeo ius & potestatē occidendi. Sapientia 16. *Tu es Domine, qui vita & mortis habes potestatē.* Idem docuerunt non solum Doctores Christiani, sed etiam Philosophi. Cicero de Senectute refert Pythagoram dixisse, *Nemini fuis esse iniussus Imperatoris summum Dei, de preficia & statione vita discendere.* Eadē est contentia Aristor. l. 5. Eth. c. 10.

Ratio est, Primo, quia dominium non est nisi in res eas, quas nostra industria nobis possimus adscire: has enim sicuti possimus acquirere, ita etiam relinqueremus: atqui vitam nemo sua industria potest acquirere. Secundo, quia vita est fundamentum omnis dominij humani: antequam enim vitam accipiat, nullius dominij est capax, quia non est: ergo par non est ut ipsa sub dominium cedat: sicut fundamentum omnium accidentium non potest esse quid accidentiarium. Tertio, quia dominium non est nisi in res distinctas: vita autem & membra non sunt quid distinctum a nobis, sed pars nostri vel substantia.

*Cur homo
non sit vi-
ta sua do-
minus.*

Dico Secundo, Neque Princeps, neque etiam Respublica est dominus vita suorum subditorum, vel seruorum. Sequitur ex dictis, & Confir. Primo, Exodi 21. *Qui percussit virga seruum vel ancillam, & in manibus eius mortui fuerint, criminis reus erit: nempe homicidij.* Secundo, Proprium veri dominij est, rem pro arbitratu suo posse perire, etiā voluppi causā: atqui solus Deus pro arbitrio potest interficere etiam innocentes, non autem Respub. ergo Respub. non habet dominium in vita hominis. Tertio, Nemo est dominus suorum membrorum, sed solum custos, & gubernator, ut ostensum est: atqui quisque priuatus se habet ad Rempub. ut membrum & pars, ex qua una cum aliis partibus ipsa veluti unum corpus constat: ergo non habet dominium in priuatos.

Nec obstat quod Principes possint interficere malefactores, & exponere subditorum vitam in bello: quia id faciunt non ut illorum dominii: sed ut custodes tranquillitatis & boni publici: sicut homo ut cultus vita sua refecat membrum putridum, & exponit partem pro salute totius.

D V B I T A T I O XI.

*Utrum homo sit dominus sua famæ,
& honoris.*

C Ait. infra q. 73. art. 2. negat. cum enim fama sit bonum medium inter vitam & res externas, potius censet eam collocandam cum vita, cuius domini non sumus, quam cum rebus externis, quarum domini sumus. Idem videatur sentire Silvester ver. Detractio q. 3.

Sed dicendum est, hominem esse verè dominum famam sua, sicut rerum externarum, colligitur ex D. Th. infra q. 64. art. 5. ad 3. vbi docet, *Hominem licet posse disponere de seipso, quatum ad ea que pertinent ad hanc vitam; sed transistram de hac vita ad aliam non subiungere libero eius arbitrio.* & cla-

& clariū q. 7. 3. a. 4. ad 1. vbi docet, in cuiusque ar-
bitrio esse p[otes]t detrimentum sue famae, nisi hoc ver-
gat in detrimentum aliorum. Idem docet Sotus li-
bro 4. de Iustitia q. 2. a. 3. & Adrian. in 4. quæst. de
restitutio[n]e, circa finem. Cuar. l. 2. variarum c. 2.
num. 8. & alij recentiores.

Probatur Primò, quia homo famam & hono-
rem, post vitam diuinitus acceptam, sibi aequirit
& auger, sicut res ceteras: ergo est illius dominus
vt ceterarum.

Secundò, Quia nisi esset dominus, non posset
eius restitutionem condonare: (nemo enim con-
donare potest quod non est suum) atqui certum
est posse condonare eius restitutionem. Nec ob-
stat (quod contra hanc rationem obicit Adrian.)
quod possimus condonare mutilationem membra,
cuius tamē non sumus domini: quia si membrum
posset restitu[re] sicut fama, non possemus con-
donare, quod igitur condonamus, est satisfactio pro
illata iniuria, & restitutio pecuniaria pro damno
secuto: non autem propriè restitutio membra.

*Potest ho-
mo interdū
famam
ad nostrū
infamia
re.*

Tertiò, quia in multis casibus possumus nos in-
famare. Primò, ad pertendum consilium. Secundò,
ad nostri humiliacionem; sicut latro ille apud Chi-
macum Gradu 4: qui publicè grauissima crimina
confessus est. Tertiò, ad vitandum peccatum su-
perbiæ vel aliud. Quartò, quando iniuste aliquem
infamauimus, tenemur restituere ipsi famam, et
iam cum nostra infamia, si opus est; atqui si non
esse[m]us famæ domini, nihil horum licet: sicut
non licet scipsum occidere, muriare, vulnerare, ob-
horum finium aliquem.

Contra obicitur Primò, Ecclesiastici 41. Cu-
ram habe de bono nomine, &c. ergo non licet famam
negligere. Resp. Non licet eam negligere sine iusta
ratione: hinc tamen non sequitur, hominem non
esse eius dominum: quia etiam pecunia sine iusta
causa profundi non debent.

Obicitur Secundò, D. August. lib. de Bonō
viduitatis cap. 22. dicit, conscientiam nostram esse
necessariam nobis, famam proximis, ac proinde cru-
delem esse qui famam neglegit.

Resp. Fama nostra tripliciter potest esse proxi-
mis necessaria. Primò, quando ex nostra fama ita
pendet, fama proximi, ut ex nostra infamia illius fama no-
stram infamia sequatur: sicut ex infamia Monachi se-
quitur infamia quædam monasterij. Secundò, mis neces-
saria, quando fama nostra est necessaria ut proximo
præstemus officium ei stricto iure debitum, sicut
fama personæ publicæ, Episcopi, Parochi, Abba-
tis, necessaria est ut bene regat subditos. & in his
duobus eventis, multorum iudicio contra Iustiti-
am peccat, qui se infamat: non quia præcisè se-
ipsum fama priuat; sed quia ex consequenti pro-
ximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se red-
dendo ineptum ad ei impendendum debitum of-
ficium. Tertiò, quando non ex officio, sed solùm
ex charitate proximo prædelle tenemur, & per in-
famiam ad hoc reddimur inepti; tunc solùm con-
tra charitatem peccat, qui se infamat: sicut contra
charitatem peccat, qui pecuniam, qua pauperibus
prædelle poterat, abiicit. Hæc de dominio vitæ &
famæ; cetera dicentur infra cap. 9. de Homicidio.
& cap. 11. de Detractione.

C A P V T Q V I N T V M.

De modo acquirendi dominij in res, quæ vel nullius, vel communes
sunt: vbi de mancipliis, venatione, p[ro]ficatione, aucipio, thesauris.

Constat Dubitationibus 18.

D V B I T A T I O P R I M A.

Quomodo facta sit prima rerum diuisio seu distinctio
dominiorum.

I.
Occupatio.
Sortitio.

RESPONDEO, Hæc distinctio fa-
cta est partim occupatione, par-
tim sortitione. hi enim sunt pri-
mi modi acquirendi dominij.
Nam posteri Adæ in hunc mun-
dum veluti in amplissimam do-
num opibus referrant venientes, vt quisque prior
aliquid occupasset, ita quoque dominus illius effi-
ciebatur. quod si dubium erat utr[um] prior occupa-
set, vel si ante occupationem plures ad idem aspi-
rabant, sorte decidebatur. Similiter post dilu-
vium, filij Noë alij aliam terræ partem, maximè
post linguarum confusione occupauere; vel for-
te diuisere; vt pater Genef. 10. & 11. Deinde cre-
scente genere humano, illæ partes multiplicitate
rursum, & propè in infinitum sectæ, diuisa & dis-
tractæ sunt.

D V B I T A T I O II.

Utrum hæc diuisio dominiorum licita fue-
rit, & commoda humano generi.

D. Thom. quæst. 66. art. 1. 2.

REsp. Post peccatum hæc dominiorum diui-
sio non solùm fuit licita, sed etiam salutaris
generi humano:
Quod licita fuerit, est certò tenendum. Nam ex
multis Scriptura locis constat, licet aliquid tam-
quam proprium possideri: & contrarium est hæ-
resis quorundam, qui vocati sunt Apostolici, vt
refert D. Aug. hæresi 40. & Epiphanius hæresi 6.
qui afferbant hominē non posse saluari, nisi visueret
D 3 instat